









24

COMMENTATIO IVRIDICA,

QVA SISTITVR  
DISQVISITIO QVAESTIONIS:

N V M

CREDITORES MOTO  
CONCVRSV IN OMNIA IVRA  
ET OMNES OBLIGATIONES  
DEBITORIS  
OBAERATI SVCCEDANT,  
ET HINC SVCESSORES  
DEBITORIS VNIVERSALES  
HABENDI SINT?

AVCTORE

CHRISTIANO WOLHARDO STEIN,  
IN CANCELLARIA IVSTITIAE DVCALI, CVI ROSTOCHII SEDES  
EST, ADVOCATO IMMATICVLATO.



Kd 152  
1529

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.  
ANNO 1781.

ОГОС  
АМЕ

ПИСАНИЕ  
ЗА



АЛКОДЛОУ

СЕМИНАРІЯ ДА МІЗЕТРІЯ

1851 ОКТЯБРЬ

S E R E N I S S I M O  
D V C I A C D O M N O  
D O M I N O  
F R I D E R I C O,  
D V C I R E G N A N T I M E G A P O L I T A N O ,  
P R I N C I P I V A N D A L I A E , S V E R I N I A C  
R A C E B V R G I , C O M I T I I T E M S V E R I N E N S I ,  
T E R R A R V M R O S T O C H I I A T Q V E  
S T A R G A R D I A E D Y N A S T A E ,  
D O M I N O M E O C L E M E N T I S S I M O  
S A C R V M ,

СЕМЕЙСТВО  
ДОЛГАГО ПОДНОМЫ  
ДЕЯНИЯ  
ПРИЧИНОВАННОГО  
БУДЬЯНСКОМУ СОСЛОВИЮ  
ВЪСТАВЛЕНИЮ  
СОВѢТСКОГО ГОСУДАРСТВА  
СЪДЪРЖАНИЕ  
ПОДНОМО СЕМЕЙСТВО  
СЪДЪРЖАНИЕ

DUX SERENISSIME,  
DOMINE CLEMENTISSIME.

Clementia *TVA*, INDVLGENTISSIME PRINCEPS, cuius omnes  
*TVOS* subditos fideles participes reddere, maxima  
animi generositate nec minori voluptate contendis, et  
benignissimus fauor *TVVS* erga literas atque artes, quas amas,  
et colis, et promoues, et erga cultores earum, quos magnam  
nimitez tutaris, non dubitare me finit, fore, ut andaciae ve-  
niam impetrem, si has tenues pagellas *SERENISSIMO NOMI-*  
*NI TWO* inscribere, easque in conspectum *TVVM* proferre,  
et ad pedes *TVOS* deponere ausim. Est quidem, *DUX SERE-*  
*NISSIME*, Principalis *TVA* magnitudo, cuius clementia pars  
est, nimis in alto posita, quam ut laudibus meis exaequari  
possit: at nec iis indiges, quum maxime veneranda atque  
amabilis effigies *TVA*, omnesque in ea coruscantes prae-  
clarae ac admirabiles animi dotes, cordibus subditorum *TVO-*  
*RVM* infossae quasi sunt atque insculptae. Quis enim nescit  
infucatum *TVVM* in *DEVM* amorem, atque ar-  
dorem et curam *TVAM*, qua efficere intendis, ut et subdit*i*  
*TVI* recta *DEI* cognitione imbuantur, et ad sincerum  
erga *SVMMVM NVMEN* amorem inflamentur? Virtutes  
vere Principales, quae Principem, ut Principem, decent,  
quum hoc ipso archetypo suo, *SVMMO NVMINI*, cuius ecty-  
pon est, magis assimilatur. Et quem fugit, quantopere  
*TIBI* curae cordique sit salus subditorum *TVORVM*, quam  
sapientissimis constitutionibus, aliisque, in maius commodum  
maioremque florem subditorum ac ditionum *TVARVM* dire-  
ctis, conaminibus maxime laudandis, et in omnium conspe-  
etu positis, promouere, et semper allaborasti et adhuc alla-  
boras?

boras? Ego vero, PRINCEPS CLEMENTISSIME, clemen-  
tia TVA iam ante depraedicata erexit, leuem hanc opellam  
oculis TVIS subiicere audeo: quam vt pro ea, quae TIBI  
quasi innata est, gratia, conspectu TVO non plane indig-  
nam iudicare velis, est, quod etiam atque etiam quam sub-  
mississime rogo. Offero eam in documentum maxima in  
TE deuotionis meae, in pignus summae meae erga TANTVM  
PRINCIPLEM venerationis, in tesseram meae in TE, verum  
PATRIAE PATREM, pietatis atque fidelitatis. Seruet TE  
DEVS ter optimus terque maximus diu saluum atque inco-  
lument, vt Nestoreos viuendo attingas annos, et larga diui-  
næ benedictionis seges in TE, SERENISSIMAMQVE DOMVM  
TVAM, redundet; id quod ardentissimis ad SVMMVM NV-  
MEN fusis precibus, pro TVA, SERENISSIMAEQVE DO-  
MVS MECKLENBURGICAE, incolumente perenni, exorare  
nunquam desistam. Caeterum Principali TVAE gratiae  
atque fauori me quam maxime et quam humillime commen-  
datum volo, qui, dum spiritum traho, sum atque perfisto

DOMINE CLEMENTISSIME,


DUX SERENISSIME,

SERENITATI TVAE

subiectissimus deuotissimusque

CHRISTIAN WOLHARD STEIN.

# CONSPECTVS COMMENTATIONIS.



## Praeloquium.

- §. I. Ingressus.
- §. II. De bonis obaeratis disponi nequit, quatenus sunt obaerata.
- §. III. Quid sit debitor? quid creditor?
- §. IIII. Quando adsit concursus creditorum?
- §. V. Quinam ad creditores sint referendi?
- §. VI. Diuiso Commentationis?

## CAPVT I. De modo et ordine procedendi in concursu creditorum.

- §. VII. Orto concursu constituenda est massa bonorum.
- §. VIII. Bonis curator est dandus.
- §. VIIII. Num debitoris uxor ius retentionis intuitu illatorum in concursu exercere possit?
- §. X. Liquidatio quemadmodum peragenda; contradictor quando constituatur?
- §. XI. Quomodo differat contradictor ab Actore communi?
- §. XII. Quando prioritas deducenda?
- §. XIII. Sententia prioritatis quid definiat?
- §. XIV. Executio sententiae prioritatis quomodo fiat?

CAPVT

CAPVT II. Tractans quaestionem : num creditores  
moto concursu in omnia iura et omnes obligatio-  
nes debitoris obaerati succedant ; hinc successores  
debitoris vniuersales habendi sint ?

§. XV. Connexio.

§. XVI. Quando concursus motus dicatur ?

§. XVII. Quid iura ? quid obligationes debitoris ?

§. XVIII. Quid vox : succedere , significet ?

§. XVIII. Qualia iura creditoribus moto concursu in bona  
debitoris obaerati competant ?

§. XX. Num creditores moto concursu in omnia iura debito-  
ris obaerati succedant ?

§. XXI. Num creditores moto concursu in omnes obligationes  
debitoris obaerati succedant ?

§. XXII. Argumenta dissentientium expenduntur.

§. XXIII. Continuatio.

§. XXIII. Conclusiones ex opinione dissentientium fluentes,  
quarum primaria est , creditores locationem a debitore ante  
motum concursum bona fide initam seruare teneri , cum aliis  
iuris principiis male cohaerere , ostenditur.

§. XXV. Quale ius conductori , orto super bonis locatoris con-  
cursu , competit ?

§. XXVI. Quaenam sint iura locatoris , conductore concur-  
sum ciente ?

§. XXVII. Vtrum creditores successores debitoris vniuersales  
habendi sint , si cum cessione bonorum datio in solutum con-  
iuncta fuerit ?

§. XXVIII. Conclusio.



THEAS  
TUAS

PRAE-



## PR A E L O Q V I V M .

**T**anta est vis veritatis, ut LACTANTIVS, Institutio diuinari. Libro II. Cap. I. p. m. 98. scribat, veritatem ipsam, cogente natura, etiam ab iniuitis pectoribus erumpere. Qui autem fit tamen, ut non omnes veritatem agnoscant, sed id, quod unus pro vero habet, ab altero falso dicatur, et v. v.? Experientia enim luculentissimus est testis, quam diversa saepe et maxime discrepantia hominum de rebus sint iudicia, ita, vt, quod alter verum esse propugnet, id ab altero falsitatis et erroris arguatur. Neque tantum apud vulgum hominum, qui externam rerum speciem plerumque pro norma iudicandi assunt, tale deprehenditur opinionum cogitationumque diuortium: etiam apud doctos litteratosque, qui veritatem curiosus rimantur, nec specie externa se decipi patiuntur, magnam saepe diversitatem opinionum deprehendere licet. Quis enim nescit, quanta saepe in scientiis regnent sententiarum diuortia? Quod

A

vnuſ,

vnuſ , vt falſum , reuicit , id ab altero ipsum veritatis dictamen  
habetur . Cauſam huius diſcrepaniae in cognoscenda veritate fi-  
perſcrutemur , varia quidem ea eſſe poſteſt : ſed re accuratius penſita-  
ta , et ſi diſcedimus a malitia voluntatis , quae ſaepe iuilectui no-  
ſtro noctem nebulamque offundit , cum tamen ab huius luce iſta fe-  
regi pati deberet , et ſupponimus , quemlibet de rebus ſecundum pro-  
priam conuictionem iudicare , ea cauſa varietatis opinionum omnis  
in finitudine iuilectus noſtri quaerenda erit . Iuilectus enim no-  
ſter , vt omnes animi humani facultates , quum ſit finitus , nec om-  
nia capiat , ſaepe multitudine rerum et circumſtantiarum , quae  
ipſi obuerſantur , obruitur et confunditur , vt veritatem intueri ne-  
queat ; ſaepe dignitate et ſublimitate obiecti , circa quod occupa-  
tus eſt , et quod penetrare nequit , a cognitione illius repellitur , et  
cum tamen eius naturam cogitando aſſequi cupiat , licet eam attin-  
gere ſupra vires ipſius poſitum ſit , neceſſario in errores delabitur ,  
et prout ingenium ipſum fert , mox hoc , mox illud , pro vero am-  
plectitur ; ſaepe etiam ſimilitudine characterum quorundam , qui in  
diuersis obiectis occurruunt , decipitur , vt diuerſitates non attendat ,  
et hinc falſo concludat , omnia in iſtis obiectis , aliquadantenus ſimi-  
libus , eſſe ſimilia , hinc obiecta iſta diueraſa eadem . Et hoc vlti-  
mum , quod adduxi , erroris fundamentum , niſi me omnia fallunt ,  
quoque cauſa eſt diſferentium ſententiarum , quae in materia , quam  
hic tractandam mihi ſumfi , inter eruditos reperiuntur . Aliqualis  
enim ſimilitudo , quae inter creditores poſt motum concurſum exi-  
ſtentes , et ſucceſſores uniuersales ſ. haerēdes , intercedit , eos , qui  
contendunt , creditores moto concurſu ſucceſſores debitoris uniuersa-  
les habendos eſſe , ſeduxit , vt id ſtatuerent . Mihi , quod fateor ,  
horum ſententia nunquam arriſit : quū non modo ſolido iuriſ funda-  
mento deſtituatur , ſed etiam omni iuriſ analogiae e diametro  
contraria ſit ; id quod ex ipſa traſtatione , eiusque praeprimis Ca-  
pite ſecundo , vberius , vt ſpero , elucebit . Scribebam Roftochii ,  
d. 17. Auguſti , Anno MDCCXXXI.



COM-



COMMENTATIO IURIDICA,

SISTENS ENCLEATIONEM QVAESTIONIS:

NVM CREDITORES MOTO CONCVRSV  
IN OMNIA IVRA ET OMNES OBLIGA-  
TIONES DEBITORIS OBAERATI SVCCEDANT,  
ET HINC SVCESSORES DEBITORIS  
VNIVERSALES HABENDI SINT?



§. I.

INGRESSVS.



Bona et aes alienum sunt contraria : tantum  
enim ex bonis tollitur, quantum huic inest.  
Hinc si aes alienum bona exsuperet, haec  
non sufficiunt ad illud dissoluendum, sed  
per id prorsus absorbentur.

A 2

§. II.

## §. II.

*De bonis obaeratis disponi nequit, quatenus sunt obaerata.*

Quatenus bona aeri alieno obnoxia sunt, eatenus de illis disponere nequit possessor. Quatenus enim bona aeri alieno obnoxia sunt, eatenus ad possessorem non pertinent, nec is eorum dominus est <sup>a)</sup>). Cum vero dominus tantum de bonis suis disponere possit: sequitur, possessorem de bonis, quatenus aeri alieno obnoxia sunt, disponere non posse.

<sup>a)</sup>) Quum vero non esse et non apparere in sphaera iuris externi pari passu ambulant: sequitur, dispositionem possessoris de bonis tamdiu valere, quamdiu non appetet, ea esse obaerata. Simulac vero de hoc constat, eo ipso momento dispositionem eius sisti.

<sup>a)</sup> l. 39. §. 4. D. de verb. signif.

## §. III.

*Quid sit debitor? quid creditor?*

Qui ad aliquid praestandum alteri obligatus est; eius vocatur *debitor*, et is, cui alter obligatus est, *creditoris* nomine venit.

<sup>a)</sup>) Sumuntur hae voces hic in sensu generali <sup>a)</sup>; in speciali vero vel potius specialissimo *debitor* ille vocatur, qui pecuniam ex mutuo debet, et is, cui pecunia ex mutuo debetur, *creditor* audit.

<sup>a)</sup> conf. l. 11. D. de verb. signif.

## §. IV.

*Quando adsit concursus creditorum?*

Si conflitus adest inter bona et aes alienum, siue, ut Practici loqui amant, inter actiua et passiua, id est, si credores solutionem vrgenr, debitor vero iis satisfaciendis imparem se sentir, quum tantae bonorum ipsius vires non sint, quanta ad aes alienum expungendum requiruntur, oritur concursus creditorum: qui materialiter adest, simulac bona debitoris non sufficiunt, ut omnibus creditoribus inde satisfieri

fieri queat; formaliter autem, si vel debitor obaeratus bonis cesserit, vel iudex citationem edictalem emiserit.

### §. V.

*Quinam ad creditores sint referendi?*

Moto concursu, omnes illi, quibus debitor quacunque ratione obligatus est, in numerum creditorum sunt referendi; *credendi* enim appellatio generalis est (§. III. schol.) <sup>a)</sup>. Hinc etiam illi, qui iure dominii res suas petunt, licet extra concursum eas vindicent, tamen ius suum dominii in ipso concursus iudicio allegare et probare tenentur <sup>b)</sup>.

a) I. H. BOEHMER, *in Introdūct. in Ius Digest.* P. I. pag. 303. §. 1.  
L. B. de WOLFF *in Iure naturae methodo scientifica pertractato*  
P. IV. §. 513.

b) SCHAVMBVRG *princip. praxeos iurid. iudicariae Lib. II. Cap.*  
*VIII. §. VIII. not. \*\* pag. 215.*

### §. VI.

*Divisio Commentationis.*

Antequam vero ad quaestionem propositam enodandam me accingo, non inutile erit, modum procedendi, in creditorum concursu obseruari solitum, breuibus delineare: hinc disquisitio nostra in duo dispescetur capita, quorum *primum* modum et ordinem in creditorum concursu procedendi breuiter adumbrabit, *alterum* autem ipsam quaestionem propositam enucleabit.

## CAPVT I.

### DE MODO ET ORDINE PROCEDENDI IN CONCVRSV CREDITORVM.

### §. VII.

*Orto concursu constituenda est massa bonorum.*

Exorro creditorum concursu, illi, quibus debitor obligatus est, ex bonis eius satisfactionem suam quaerunt. Hinc

A 3

iudex

index curet, necesse est, ut massa bonorum constituatur. Quem in finem praevia iudicali obsignatione inventarium publica auctoritate conficiendum, nisi ipse debitor priuatam iam iudici exhibuerit bonorum consignationem, iurejurando firmatam. Ingrediuntur autem hanc sive priuatam, sive publicam, bonorum consignationem omnia communis debitoris bona, tam mobilia, quam immobilia, iura, nomina et actiones. Praeterea in massa constituenda eorum quoque habenda est ratio, quae debitor obaeratus in fraudem creditorum gessit, quae instituta actione Pauliana sunt reuocanda.

### §. VIII.

*Bonis curator est dandus.*

Quum vero processus concursus tractum aliquem temporis requirat; nec debitori communis dispositio de bonis amplius competat \*); creditoribus vero prius non satisfiat, quam finito concurso: sequitur, bonis constituendum esse curatorem, vel maioris partis creditorum consensu, vel a iudice ex officio, cui administratio eorum deferatur, ne ex tractu temporis aliquid detrimenti eis accidat, aut augmentum et incrementum, quod massa bonorum capere potuisset, in maximum creditorum damnum negligatur. Hanc bonorum curram autem rerum oeconomicarum perito deferendam esse, et quidem tali, qui cautionem idoneam offert, per se patet. Debitorem ipsum vero ad eam admitti, uti BRVNNEMANNA<sup>a)</sup> et LEYSER<sup>b)</sup> statuunt, minimè consultum est. Hinc quoque in variarum prouinciarum ordinationibus processus, debitor communis expresse ab administratione bonorum excluditur c).

\*) Debitor enim, exsidente concurso, ex bonis est ejendus, ni sua sponte ea creditoribus cedat. Quod flebile beneficium cessionis bonorum autem iis tantum legibus cessum est d), qui non dolo aut culpa sua, sed mero casu fortuito, bonis lapsi sunt, ad euitandas feruitutis carcerisque iniurias. Cedenda praeterea sunt omnia bona, nec quidquam praeter vestes quotidianas debitor retinere potest, nisi bene-

beneficio competentiae gaudeat. Iure Mecklenburgico autem debitor, si est opifex, instrumentis opificiariis, quibus ad opificium exercendum necessario vtitur, cedere non tenetur e). Liberum vero est debitori, cessionem reuocare, quamdiu bona nondum vendita sunt, si alio modo creditoribus satisfacere valet f).

- a) BRVNNEMANN in Proc. Conc. credit, Cap. I. §. 6.
- b) in Medit. ad ff. Specim. 491. med. 3.
- c) conf. SCHAVMBVRG in priuiciis praxeos iurid. iudicariae Lib. II. Cap. VIII. §. IX. not. 5. add. LUDOVICI Einleitung zum Concurs-Proces Cap. IV. §. 2. ibique Dn. SCHLITTE in not. (B)
- d) Ita quoque dispositum est in Ordinat. Dicasterii aulici et provinc. Meclemb. Part. II. Tit. vte.
- e) diff. Ordin. cit. loc. §. penult. conf. quoque Ordin. Cancell. Güstro- uiensis Part. II. Tit. vlt. §. vlt. et Ordinat. Iudicij Rostoch. P. I. Tit. 28. §. 7.
- f) conf. LUDOVICI Einleitung zum Concurs-Proces Cap. I. §. 15. ibique Dn. SCHLITTE in not. (O).

### §. VIII.

*Num debitoris vxor ius retentionis intuitu illatorum in concursu exercere possit?*

Sed hac occasione forsan non inconcinne quaeritur: *an non vxor debitoris intuitu dotis possit ius retentionis in concursu contra mariti creditores exercere?* Extra concursum quidem expeditum est, vxorem tamdiu bona mariti refinere posse, donec ei ratione dotis satisfactum sit; modo dos sit liquida, et vere illata \*). Ratio huius iuris arcessenda a iure pignoris sive hypothecae, quod vxori in omnibus mariti bonis legibus est constitutum a). Sed quaeritur: *anno etiam in concursu contra creditores vxor hoc iure gaudeat?* Et hoc non simpliciter asserendum, sed ad rationem, cur vxori hoc ius competit, respiciendum esse, puto. Quousque enim ratio huius iuris se extendit, eousque etiam ius ipsum se extendere, tuto defendi potest. Ulta rationem vero id extendere velle, est iuris analogiae contrarium. Ratio vero, cur mulieri ius retentio-

❧

tentionis competat, est, ut paulo ante dixi, ius hypothecae, quod ei in legibus intuitu dotis in bonis mariti est tributum. Hoc ius hypothecae, vxori ratione dotis competens, ius praelationis annexum habet. Hanc rationem iuris retentionis si rite contemplémur: facile patet, non indistincte mulieri in concursu contra mariti creditores ius retentionis attribuendum, sed potius distinguendum esse inter creditores, qui potiora iura, quam debitoris vxor, habent, et creditores, qui infirmiori iure, quam uxor, gaudent. Respectu horum ius retentionis ei competens cum effectu se exferere potest, non vero contra illos. Illis enim, qui potiori iure gaudent, ab uxore per exercitium iuris retentionis praeiudicium inferri nequit <sup>\*\*) b)</sup>. Nec aliud in Megapoli obtinet. Licit enim *Ordinatio Dicaſterii aulici et prouincialis Meclenburgi c)* vxori debitoris ius retentionis respectu dotis realiter numeratae et satis probatae expressis verbis concedat: hoc tamen non aliter intelligendum est, quam saluo iure tertii. Privilegia enim ita sunt interpretanda, ne ius tertii laedatur <sup>d)</sup>. Tanta vis nulli priuilegio a legibus concessa cernitur, ut alterius ius potius inde infringi posset, scribit *Dn. M. B. HERING e)*. Quid vero de bonis paraphernalibus sentiendum; num et respectu illorum vxori ius retentionis competit? Ratione Paraphernalium vxor pari modo hypotheca legali tacita gaudet, non autem iure praelationis. Quum igitur ob ius hypothecae vxori competens, retentionis ius ea sibi vindicare possit, sequitur, etiam pro bonis paraphernalibus id ius locum habere <sup>f)</sup>. Existente vero concursu creditorum pariter distinguendum inter creditores fortiori iure munitos, quam quo vxor gaudet, et creditores infirmiori iure instructos. Contra hos locum habebit ius retentionis: contra illos vero nullius erit efficacie. In Megapoli quidem vxori pro bonis paraphernalibus ius retentionis competere non videtur; quum in dicta *Ordinatione iudicij aul. et prouinc.* <sup>g)</sup> disertis verbis ei denegetur. Sed primo ibi sermo est de eo, quod in concursu obtinere debet: hinc haec dispositio extra concursum applicanda minime erit. Secundo si rationem huius sanctionis indagemus, quare ratione parapher-

phernalium vxor ius retentionis vindicare sibi non debeat: eam non esse aliam inueniemus, quam quia ratione paraphernalium non eadem gaudet praerogativa, quae intuitu dotis ei tributa a legibus est. Intuitu dotis in secunda classe collocatur; ratione paraphernalium autem demum in tertia. Hinc respectu horum multis creditoribus postponitur, quibus respectu dotis praefertur. Et ex hac fine dubio ratione Serenissimi Legislatores vxori ratione paraphernalium ius retentionis concedere noluerunt, sed ad concursum eam ablegantur. Si ergo cum eiusmodi creditoribus ei res sit, qui pariter in tertia demum classe locum tibi vindicant, et quidem post paraphernalia vxoris: quin contra illos ius retentionis et respectu paraph. exercere possit, meo quidem iudicio nulli obnoxium dubio est, nec a mente et ratione Sereniss. Legislatorum abhorrere videtur b).

\*) Si enim nulla dos illata, nullum adest debitum; hinc quoque retentio cessat. Si dos quidem illata, sed prorsus illiquida est; retentio pariter locum non habet. Non autem prius vxor bona mariti deserere cogi potest, quam sufficiens ei praeslita cautio est de dote restituenda, si ad liquidum fuerit perducta.

\*\*) Sic ratione eorum, qui beneficio separationis fruuntur, aut in sententia prioritatis in prima classe collocantur, et per consequens vxori praeseruntur, nulla iuri retentionis vxoris tribui potest efficacia.

a) Conf. STRYCKII comment. de Iure vxoris in bona mariti Cap. III, n. 100.

b) Consentientem habeo Dnum M. B. HERING, Ictum quondam in Academia Rostochiensi celeberrimum in *diff. de retentione in securitate tem dotis permissa*, Resp. Dno. Doct. I. I. WEBER, Practico hic loci famigeratissimo, Rostochii 1745. habita, Cap. I. §. XXIV. Et §. XVII, ibid, in not. \* scribit: *Siquidem autem ius retentionis in concursu creditorum ob praelationem vxori adscribitur, vi cuius reliquorum creditorum, quos foemina antecedit, praeiudicium non merendum: ita etiam cessante praelatione vix ac ne vix quidem commode retentionis foemina gaudebit.* Conf. quoque MEVIVS in Commentar. in Ius Lubec. Lib. I. Tit V. art. 13. n. 15. et 45.

c) Part. II, Tit. vlt. §. penult.

B

d) . x.

- d) I. H. BOEHMER in *Introduct. in Ius Digest.* Lib. I. Tit. IV. §. u.  
e) in *diff. cit. Cap. I. §. XXIV.*
- f) STRYCK *cit. loc. n. 103.* MEVIVS in *Decis. Part. II. Dec. 14.* et in  
Comment. in *I. Lub. Lib. I. Tit. V. art. 13. n. 40. 42. et art. 11.*  
num. 6.
- g) *loc. cit. ibi:* wegen der Paraphernal-Güter aber sich des *iuris reten-*  
*tionis nicht anzumasseu haben, sondern ad concursum creditorum*  
*verwiesen werden.*
- b) Consentit laudatus Dn. HERING in *diff. cit. C. I. §. XXV.*

### §. X.

*Liquidatio quemadmodum peragenda; contradictor quando  
constituatur?*

Pergo in natura concursus vltierius enodanda. Massa bo-  
norum constituta, ad liquidationem nominum, a creditori-  
bus professorum, progrediendum, id est, in veritatem prae-  
tensionum, quas creditores formant, inquirendum est. Et  
circa hunc passum liquidi constituendi creditoribus res est cum  
ipso debitore, quippe qui in iudicio concursus reus est. Hinc  
debitor vel ipse, vel per mandatarium creditoribus respon-  
dere debet: nisi forsitan a iudice ex officio contradictor sit  
constitutus; id quod sit, vel si debitior mortuus est, aut in  
fugam se coniecit, vel si suspicio adest, debitorem cum qui-  
busdam creditoribus colludere, horum credita, licet maxime  
dubia sint, tanquam liquida agnoscere, aliorum vero prae-  
fracte negare, quo casu a responsione super liquido a iudice  
arcetur. Incumbit vero creditoribus circa hoc negotium, ut  
credita sua probent, idque non quidem ordinario modo, sed  
sufficit aliqualis demonstratio, ut creditor ad iuramentum  
suppleriorum admittatur: concursus enim iudicium summar-  
riam procedendi rationem sibi vindicat. Creditores igitur,  
nisi documenta vel articulos \*) iam antea exhibuerint, et prio-  
ribus suis implorationibus iunxerint, ea in termino discepta-  
tioni super Liquido praefixo exhibere debent. Ad debitoris  
vel contradictoris officium autem circa hunc passum perti-  
net, ut ad implorationes creditorum summariter respondeat,  
docu-

documenta ab iis producta examinet, num quoque vitio quodam laborent; id vero si non deprehendit, ea recognoscere, et bonam fidem, ut DD. loqui amant, agnoscere tenetur. Exceptiones quoque opponere potest, et quidem peremptorias cuiuscunque generis, ast ex dilatoriis eas tantum, quarum omissione iudicium nullum redderetur, qualis est exceptio legitimationis, tam personae, quam ad causam \*\*). Nec minus exceptiones probandae sunt, pari modo, ut a creditoribus credita, nimirum per modum demonstrationis.

\* ) Per propriam debitoris confessionem credita sua probare, qui cupiunt, non audiuntur, maxime, si moto iam concursu demum facta confessio est; quia suspicio adest, debitorem cum creditore colludere: nisi alia concurrant admicula, quae creditum verosimile reddunt; quo casu creditori in supplementum jurare a iudice iniungitur. Si vero ante exortum concursum debitor fassus est, se e. gr. Caio tantam summam debere: haec confessio admittitur in vim probationis; nisi dolum vel fraudem subesse, a concreditoribus doceri possit.

\*\*) Si e. c. quis nomine alterius creditum profitetur, se, ut mandatarium alterius, legitimare debet; alias ei opponitur exceptio deficientis mandati: si quis tanquam tutor se gerit, nec tutorum exhibuit, obstat ei exceptio deficientis tutorii. Etenim tam hic, quam ille, personam suam legitimare debet. Si vero creditor summam aliquam praetendit ex instrumento quodam, in quo ipse, tanquam creditor, non est nominatus, nec cessionem huius debiti demonstrare potest, a contradicente ei potest exceptio legitimationis opponi. Etenim docere debet, unde ipsi ius ex hoc instrumento competit; per consequens ad causam se legitimare a).

a) Conf. IUDOVICI Einleitung zum Concurs - Proces Cap. V. §. 4.

### §. XI.

Quomodo differat contradictor ab Auctore communis?

Sed quaeritur: qualis intercedat differentia inter contradictorem et auctorem communem? Creditores nonnunquam, et qui-  
B 2 dem

dem in Megapoli atque Pomerania ordinarie , eligere solent personam quandam iurum peritam , quae communem eorum vtilitatem , commune omnium interesse , obseruet , et concursus processum promoueat . Et talis persona dicitur Actor siue Aduocatus communis . Hinc ad eius officium pertinet , omnia ea péragere , quae ad communem omnium creditorum vtilitatem spectant . Curator quidem bonorum etiam in id curam intendere debet , vt omnium creditorum saluti proficiat ; sed eius officium administratione bonorum oeconomica finitur , nec ea , quae iuris scientiam requirunt , ad curatoris bonorum sphaeram pertinent , sed haec actor communis sibi vindicat . Actori communi igitur incumbit , si bona quaedam , ad massam concursus spectantia , ab aliis detineantur , contra possessores agere , vt haec bona restituantur ; nec minus ea , quae debitor in fraudem creditorum alienauit , instituta actione Paulliana reuocare . Porro partium eius est , conseruationi massae bonorum sollicite inuigilare : hinc curatorem bonorum in administratione forsan male versantem , tempestiuē iudici denunciare , et tanquam suspectum accusare deber . Pari modo iurisdictionem patrimonialem , praedio debitoris forsan cohaerentem , vt et ius patronatus omnium creditorum nomine exercere deber . Sed et ea , quae ad ipsum concursus processum promouendum conducunt , ab eo non negligenda , sed omni cura et diligentia perficienda . Id igitur sibi datum esse negotii existimet , vt a iudice perat , velit citationem edictalem decernere , vt creditorum in deducendis iuribus prioritatis forsan moras necsentium , accuset contumaciam , vt , si sententia prioritatis ferenda , omnium creditorum nomine in causa concludat , contra Academias excipiat , et tandem , sententia prioritatis s , locationis lata , et vires rei iudicatae nacta , sententiam distributionis omnium creditorum nomine a iudice esflagitetur <sup>a)</sup> . Quodsi cum his contendamus ea , quae in Paragrapho antecedente de contradictoris officio dicta ; facile patescet , longe illud distare ab actoris communis officio . Actor communis enim creditorum , contradictor vero debitoris partes tuetur . Actor communis nomina creditorum non impugnat , <sup>b)</sup> contradictor vero

vero ea impugnat, exceptiones illis opponit, probationemque eorum exigit. Actor communis a creditoribus constituitur, et a iudice confirmatur, contradictor vero vel a debitore vel a iudice constituitur. Contradicitoris officium finitur, si nomina a creditoribus sunt ad liquidum perducta, nec exceptionibus infringi amplius possunt; ast actoris communis officio non prius indicuntur feriae, quam toto concursu processu absoluto, et prorsus ad finem perducto.

\* ) Plane quidem, meo iudicio, ab actoris communis officio non abhorret impugnatio nominum creditorum. Si enim quis numero creditorum se associet, qui verus creditor non est, aut de cuius crediti veritate maxima dubitandi rationes adsunt, omnino caeterorum creditorum interest, eiusmodi creditoris nomen impugnari, et actor communis commune creditorum interesse obseruat, si hoc suscipit. Sed in subsidium tantum id fieri debet ab actore communi; vel si peculiaris constitutus a iudice non est contradictor, vt sumtibus parcatur, et debitor absens vel mortuus; vel si debitor, eiusne haeres, aut contradictor unius alteriusue creditoris creditum, tanquam verum et liquidum agnoscit, nullamque exceptionem opponit; tunc enim reliquis creditoribus, aut eorum nomine Actori communi, si de liquido et veritate crediti dubia illis subnascantur, liberum est, eiusmodi creditum impugnare, exceptiones contra istud proferre, et quid monendum habeant, indicare b).

a) Confer. D. Ern. Io. FRID. MANTZEL, Iurisconsulti quondam in Academia patria longe celeberrimi, *dis. de Actoris communis officio in concursu creditorum*, Rostochii 1735 habita, §. XXXIV. seqq.

b) Conf. Dn. LUDOVICI cit. loc. Cap. V. §. 6

## §. XII.

*Quando prioritas deducenda?*

Creditis ad liquidum perductis, id quod inter creditores et debitorem vel contradictem tractatur, ad punctum prioritatis deuenitur, quod inter ipsos creditores ventilatur.

B 3

In

In concurso Creditorum enim certus obseruatur ordo, quo cuiuslibet creditum exsoluendum. Quando igitur creditores de ordine inter se certant, cui priori, et cui posteriori loco sit satisfaciendum, quis alis in exsolutione crediti praferendus, quis vero sit postponendus; de prioritate inter se litigant. Consultum omnino est, ut simul cum liquidatione crediti fundamentum prioritatis eiusdem coniungatur, quo in sententia locationis classificatoria conueniens eidem assignetur locus. Cui fundamento, si concreditores nihil habent, quod obmoueant, peculiari prioritatis deductione non est opus. Sin autem concreditores prioritati, quam alter sibi asserere cupit, contradicunt, nec, priorem ipsi locum in sententia classificatoria attribui, pati volunt; oritur de prioritate litigium, peculiaribus deductionibus a creditoribus inter se inuicem discutiendum, et deinde a iudice sententia definitiua terminandum.

### §. XIII.

#### *Sententia prioritatis quid definiat?*

Disceptatione tam super liquido, quam prioritate, *absoluta*, sequitur *sententia prioritatis* sive *locationis*, etiam *classificatoria dicta*, quae primo de iis, quae ad massae constitutionem et alienationem pertinent, disponit, et taxatione ac subhastatione bonorum nondum facta, eam decernit; *deinde* vero cuiuslibet credito liquido, secundum ordinem in legibus \*) determinatum, locum conuenientem assignat, illiquid vero, adiecta conditione melioris demonstrationis, locat a).

\*) Oritur quaestio: si debitoris bona diuersis sita sint locis, in quibus diuersa ratione classificationis creditorum obtinent iura, quasnam leges iudicem in concipienda sententia prioritatis sequi oporteat? Distinguendum hic inter mobilia et immobilia. Intuitu mobilium iudex leges fori concursus, quod est forum domicilii, respicere, ratione immobilium autem leges loci, ubi res sitae sunt, ante oculos habere debet b), quum statuta realia, quae ipsam rem afficiunt, extra territorium statuentis non sint obligatoria, nec ad

ad bona in alieno territorio sita pertingant c). Caeterum in collocandis creditoribus non iura loci, ubi creditores cum debitore contraxerunt, sed iura fori concursus spectanda esse, ratione sufficiente suffultus docet LEYSERUS d), cui suffragatur SCHAUMBURG e).

- a) LUDOVICI cit. loc. Cap. VI. §. 14.
- b) IDEM c. l. Cap. X. §. 10. BRUNNEMANN de Processu concursus creditor. Cap. V. §. 68.
- c) I. S. F. BOEHMER in diff. de efficacia statuti personalis extra territorium §. V. Francof. ad Viadr. 1756 habita, et 1759. recusa, item Henr. de COCCEII in diff. de fundata in territorio et plurimum locorum concurrense potestate, Tit. V. §. 3. et Tit. VII. §. 16. in Vol. I. exercit. pag. m. 718.728. et I. N. HERTIVS in diff. de collisione LL. Secc. IV. §. 9. et 64. in Volum. I. Commentat. p. m. 125. 150.
- d) in Meditat. ad Pand. Specimine 478. medit. X.
- e) in principiis praxeos iurid. iud. Lib. II. Cap. VIII. §. XV. not. \*\*\* Vid. quoque HERTIVS c. l. §. 64.

### §. XIII.

*Exsecutio sententiae prioritatis quomodo fiat?*

Sententia prioritatis lata, nec per remedia suspensiua et deuolutiua (quae etiam in concursu creditorum admittuntur, praeterquam quod vsus eorum paullo arctioribus plerumque circumscribatur cancellis) a viribus rei iudicatae suspensa, exsecutio datur. Quem in finem alienatio bonorum, tam mobilium, mediante auctione, quam immobilium, mediante subhastatione, suscipitur, nisi iam antea, quod saepe fit, alienata sint bona. Alienationem deinde sequitur decretum distributionis, vi cuius pecunia, ex venditione bonorum debitoris redacta, inter ipsos creditores secundum ordinem, in sententia classificatoria cuilibet assignatum, deductis sumtibus, in iudicium concursus impensis \*) , re ipsa distribuitur, et sic toti concursus processui finis imponitur.

\*) Divisae sunt Doctorum sententiae ratione impensarum concursus. Alii putant, sumtus in concursum factos cui libet

libet creditori, ex massa concursus percipienti, pro rata esse detrahendos, aequitate naturali subnixi, quae vult, ut omnium contributione farciatur, quod pro omnibus impensum est *a)*; et hanc sententiam cum pluribus aliis tueruntur *BOEHMERVS b)*, et *SCHAUMBVRGIVS c)*. Alii autem, inter quos *LEYSERVS d)* et *PVFENDOREFIVS e)*, ex rationibus non prorsus spernendis arbitrantur, expensas in concursum erogatas non cuilibet creditori pro rata imputandas, sed ex corpore seu massa bonorum esse praecerpendas. In Megapoli huc usque, excepta ciuitate Rostochieasi *f)*, perpetua obseruantia obtinuit sententia posterior, adeo, ut, actis ad extraneos transmissis, si sententia ab illis lata quid, huic obseruantiae contrarium, constitutum repertum fuerit, ea statim a Iudice domestico sine ambagiis in hoc passu correcita sit *g)*. Nunc autem, constitutione nouissime *h)* emanata, Serenissimus legislator priorem amplexus est sententiam, eamque introduxit, vi cuius impensae communes in concursum factae a creditoribus percipientibus pro rata ferenda, exceptis tantum sportulis pro sententiis prioritatis et distributionis soluendis; quae constitutio per responsum clementissimum, ad instantiam *Dni. Docttoris Richelmann*, Aduocati apud nostrates haud ignobilis, datum *i)*, adhuc magis declarata est.

- a) L. I. de L. Rhodia de iactu.*
- b) in Introd. in Ius Digest. Part. II. pag. 404. §. 9. n. (i).*
- c) Princip. praxeos iurid. iudiciar. Lib. II. Cap. VIII. §. 17.*
- d) Meditat. ad ff. Specim. 481. med. 4. et 5.*
- e) Obseruat. Iur. Vniu. Tom. IIII. Obs. 249.*
- f) Vid. Ins Statutar. Rostoch. Part. III. Tit. 1. art. 22.*
- g) Dn. Consiliarius DUVV in diff. inaug. sub praesidio Mantzeliano Rostochii habita, de iuribus singular. in Megap. circa proc. conc. cred. §. XVI. et LEYSERVS citato loco p. m. 490. seq.*
- h) d. 20. Iulii 1776. Vid. die Mecklenburg-Schwerinschen Intelligenzblätter de A. 1777. 17tes Stück.*
- i) d. 10. Febr. 1777. ibid. loc. cit.*

CAPVT

## CAPVT II.

*TRACTANS QVAESTIONEM: NVM CREDITORES MOTO CONCVRSV IN OMNIA IVRA ET OMNES OBLIGATIONES DEBITORIS OBAERATI SVCCEDANT; HINC SVCESSORES DEBITORIS VNIVERSALES HABENDI SINT?*

### §. XV.

*Connexio.*

Ratione modoque procedendi, in concursu creditorum obseruando, breuibus enucleato, iam ad quaestionem propositam discutiendam proprius accedamus. Cum igitur in quaestionem: *num creditores moto concursu in omnia iura et omnes obligationes debitoris obaerati succedant*, inquirere nobis animus est: explicandum antea nobis erit, quando *concursum motus* dicatur, quid vox *succedere* significet, et quid per *iura et obligationes* debitoris obaerati intelligatur.

### §. XVI.

*Quando concursus motus dicatur?*

Essentiale requisitum omnis concursus, sine quo locum habere nullo modo potest, est hoc, 1) *ut debitor non sit soluendo*, sed mole aeris alieni quasi obruatur. Quamdiu igitur insufficientia bonorum ex parte debitoris nondum adest, neutquam ad concursum excitandum neque creditoribus configiendum, neque iudici procedendum; sed potius remedia iuris ordinaria hoc casu tam creditoribus eligenda, quam iudici decernenda; cum concursus tantum sit remedium extraordinarium, hisce sub circumstantiis minime applicandum <sup>a)</sup>). Si autem vel maxime insufficientia bonorum reuera adsit, nondum tamen concursus creditorum motus dicendus; licet materialiter <sup>†</sup>) omnino adsit (per §phum IV.); sed requiritur 2), *ut creditores instent,*

C

et

*et solutionem aeris alieni a debitore contracti urgeant.* Creditoribus enim non instantibus, nec, ut sibi ratione eius, quod crediderunt, satisfiat, pertinentibus, iudex ex officio illis prospicere, eosque excitare in regula nequit \*); cum iudex in ciuilibus officium suum in regula non impertiatur, nisi imploratus. Si vero et aliqui creditores ad sint, qui sibi a debitore satisfieri postulant, nondum tamen concursus pro moto et plene formato habendus est \*\*), sed requiritur insuper, 3), ut eridario administratione bonorum, et vsteriori super iis dispositione a iudice interdicatur ††), nisi iam sponte se illa abdicaret. Hoc fit, si debitor ad beneficium cessionis bonorum se recipiat: illud autem, si ablata eridario administratione curator bonis constituantur, qui nomine creditorum, in bonorum possessionem immisorum, ea administret; vel si duo pluresue creditores arrestum in omnia debitoris, qui non est soluendo, bona impetrant b). \*\*\*). *Haec tria requisita ergo si iunctim et simul existunt, concursus dicitur motus et plene formatus, antea vero non: cui adhuc iungendus est casus, si iudex ex officio, nemine etiam pertente, per edictalem citationem creditors conuocat, quod in exceptione ab eo fieri potest.* Et ex his simul de vero concursus (formalis scilicet, de quo hic solum loquimur) initio rite statuendum. Tunc enim *concurus creditorum initium capit et motus est, si plures creditors debitoris, soluendo non existentis, uno eodemque tempore solutionem vrgent, et res eo deducta est, vt aut debitor bonis cedat, aut iudex administrationem ei auferat, creditors in bona immittat, bonisque curatorem constituat, (quocum edictalis citatio, in processu Concursus creditorum minime omitenda, plerumque coniungi solet) aut vniuersae bonorum debitoris substantiae arrestum imponatur, vel si iudex ex officio citationem edictalem decernat, et per eam creditors conuocandos curet. \*\*\*\*)*

†) Materialem enim concursum ponere debemus, simulacrum materia, ut ita loquar, ex qua concursus progigni potest, adest. *Haec autem est: plures creditors, et debitor, qui non est soluendo.*

\*) In

\*<sup>o</sup>) In exceptione autem nonnunquam fieri potest, vt iudex ex officio concursum decernat, vel occasionem concursus excitandi ministret: nimirum si debitor aere alieno pressus, nec bona ad illud expungendum sufficientia possidens, aufererit, bona sua dereliquerit, neminemque, cui defensio nem bonorum suscipiendam commiserit, post se reliquerit, tunc iudex ex officio creditores edicthaliter citare, et concursum formare potest c).

\*<sup>o</sup>\*) Notanda hic est distinctio concursus in *imminentem* et *moto*. Concursus dicitur *imminere*, si quidam creditores instant, et solutionem crediti a debitore, soluendo non existente, efflagitant; debitor autem adhuc administratione et possessione bonorum gaudet, quod in *moto* aliter se habet. Oritur autem hic quaestio inter Doctores vexatissima: *vtrum debitor, concursu iam imminentे, vni creditorum adhuc recte soluere possit, ita, ut a caeteris creditoribus reuocari nequeat?* Sunt, qui negatiuam tuentur; sed si leges, hac de materia loquentes, curate inspiciamus, ad contrariam sententiam priuiores eas nos facere, nemini mirum videbitur. Ita enim in l. 24. D. *quae in fraudem creditorum*, *hac de re sanctum* reperitur: *Quid ergo, si, cum in eo essent, vt bona debitoris mei venirent, soluerit mihi pecuniam: an actione reuocari ea possit a me? an distingendum est, is obtulerit mihi, an ego illi extorserim inuito? et si extorserim inuito, reuocetur?* Sed vigilauit, meliorem meam conditionem feci; *Ius civile vigilantibus scriptum est: ideo (quoque) non reuocatur id, quod percepit d).* Omnia hic eo redeunt, vt *fraus absit et dolus: quae si absunt, creditor non prohibetur, suum a debitore, concursu etiam imminentem, recipere, nec hic, illi soluere.*

††) Hoc fieri potest vel *ad instantiam* *creditorum*, vel *ex officio*, cum iudex, ex omnibus circumstantiis insufficientiam bonorum clare elucere, videt. Immo tunc obligatus est, vt per interdictionem administrationis, constitutionem curatoris, et citationem edicthalem concursum aperiat, ne, hoc omisso, aliis creditoribus forsitan latentibus, et potius ius habentibus, praeiudicium fiat dd).

\*\*\*\*) Etenim per eiusmodi arresti impositionem debitor dispositione de bonis priuatur: et hic modus concursum formandi non solum in Saxonia communi <sup>e)</sup>, sed etiam secundum Ius Lubeceuse <sup>f)</sup>, obtinet.

\*\*\*\*\*) Ex his nunc facile vera *concurſus creditorum* definitio deriuari potest. Est nempe *complexus actionum plurium creditorum, contra eundem debitorem, non soluendo existentem, motarum, hunc in finem, ut in bona debitoris iis missis, et liquidatione debiti cum prioritatis deductione peracta, unicuique ex bonis iusto ordine soluatur, quod ipsi debetur.*

- a) MEVIVS in *Decis. Part. VIII. Decis. 59. SCHAVMBVRG in principiis praeceos iurid. iudic. Lib. II. Cap. 8. §. I. not. \**.
- b) SCHAUMBURG loc. cit. §. I. not. \*\*\*.
- c) Confer. *Dn. ALEMANN in obseruationibus, quibus Iuris Rom. argumenta, de odio debitorum, creditorum vindicta. et concurſu imminentे illustrantur, sub praesidio SEIPIANO defensis Goettingae 1752. Sect. III. §. VI.*
- d) *Conf. I. 6. §. 7. I. 10. §. 16. eod. et plures aliae, citatae a Dno. ALEMANN I. c. Sect. III. §. TX., ubi hanc materiam folide tractatam inuenies.*
- dd) *I. H. BOEHMER, in dissert. de Iudice procedente ex officio in processu ciuili, Cnp. II. §. X. I. ST. PWTTER in den auserlesenen Rechtsfällen aus allen Theilen der in Deutschland üblichen Rechtsgelehrsamkeit, Ister Band, Dec. 149. n. 8. et 9.*
- e) SCHAVMBVRG loc. cit. §. I.
- f) *Vid. IUS LVECENSE Lib V. Tit. 12. art. 3. et 8. et conf. venerandus Dn. PAREN S meus in der Abhandlung des Lübschen Rechts, Tb. III. §. 46. not. \* n. 5. et §. 51. et 52.*

## §. XVII.

*Quid iura? quid obligationes debitoris?*

Per iura debitoris obaerati intelligimus *omnia ea, quae quocunque modo ad patrimonium ipsius spectant, siue complexum eorum, quae patrimonium eius quoquo modo constituant, siue sint res corporales, siue incorporales, siue mobiles, siue immobiles,*

biles, siue nomina, siue actiones: per obligationes debitoris autem complexum eorum, quae debitor aliis praeflare iure perfecto adstringitur.

### §. XVIII.

*Quid vox: succedere, significet?*

In sensu generali alteri succedere dicitur *is*, qui post illum in statu quodam determinato existit. Qui ergo post alterum existit imperans, aut in dignitate constitutus, aut officio magistratus, aut alii cuidam muneri praefectus, *is* huic in imperio, dignitate, magistratu et munere succedere dicitur. Hinc patet, quid sibi velit locutio: *in rem siue bona succedere*. Nihil aliud enim ea denotatur, quam eadem iura in rem siue bona acquirere, quae antea alias in iis habuit. Qui ergo in rem *scilicet* bona succedit, post alterum in eodem statu, intuitu huius rei seu horum bonorum, se constitutum, iisdemque iuribus se condecoratum vider, quibus antecessor eius ante illum gaudebat <sup>a)</sup>, et quidem vel in uniuersum omnibus, quo casu successor vniuersalis vocatur, et in vniuersum ius alterius succedit, vel quibusdam tantum, iis nimirum, quae antecessori eius, intuitu certae cuiusdam rei singularis, competebant, et hoc casu successoris singularis nomine insignitur: cuius distinctionis frequens in iure usus est, id quod omnes ii comprobant textus, quibus *successio in uniuersum ius, in uniuersa bona, seu per uniuersitatem, et successio in rem sibi inuicem opponuntur* <sup>b)</sup>. Sequitur autem ex dictis, eum, qui in rem *scilicet* bona succedere dicendus est, eadem acquirere in bona debere iura, non diversa, nec plura, nec pauciora, quam auctor eius habuit <sup>c)</sup>. Qui ergo rem, quam alter, tanquam dominus, possedit, titulo commodati tantum tenet, aut ex locato conducto, aut iure pignoris, non in rem alteri successisse dici potest: licet non sit negandum, si antecessor tantum titulo locati conducti, aut iure pignoris rei incubuit, eum, qui posthac rem eodem titulo ab isto accipit, in conductiōnem *scilicet* pignus successisse recte dici <sup>d)</sup>.

C 3

a) L.

- a) L. 177. π. de reg. iuris.  
 b) Conf. l. 3. §. 1. π. de except. rei vend. l. 7. in fin. et l. seq. π. de iure iuri. l. 24. §. 1. π. de damn. infect. l. 1. §. 13. π. quod legator.  
 c) l. 54. l. 120. l. 156. §. 2. l. 160. §. 2. de reg. iur. et l. 3. §. 2. π. de itin. actaque priu.  
 d) §. 6. Inst. de locat. et conduct. l. 10. C. de locat. cond.

### §. XVIII.

*Qualia iura creditoribus moto concursu in bona debitoris obaerati competant?*

Diximus in antecedentibus, eridarium, si concursus mouetur, vltiori bonorum suorum administratione exui, eaque a creditoribus, iudicali auctoritate in ea missis, possideri, et per curatorem administrari, hunc in finem, vt exinde satisfactionem sibi, bona distrahendo, quaerant. Exoritur hinc quaestio, quibusnam iuribus creditores in hisce bonis communis sui debitoris fruantur. Si naturam concursus spectemus, et ea, quae leges hac de re sanxerunt, curate diligenterque inspiciamus, sequentes extra omnem dubitationis aleam positae erunt propositiones. I. *Creditores non gaudent iure dominii in bonis debitoris, in quae sunt immischi.* Possident enim bona eridarii hunc tantum in finem, vt suum exinde consequantur per distractionem horum bonorum. Haec autem distractio cum non proprio, sed debitoris nomine fiat; nec creditores vlla alia, quam hac, ratione de bonis debitoris disponere valeant, per clara verba legis 4. C. qui bon. ced. poss.: non tamen creditoribus sua auctoritate disiudere haec bona, — sed venditionis remedio — indemnitat suae consulere permisum est; insuper immisso in bona debitoris nunquam ius dominii tribuat: sequitur, creditoribus, moto concursu, ius dominii in bonis eridarii neutriquam posse adiudicari. Si leges in consilium adhibemus, ea euolundo luce meridiana clarius elucescet, α) debitorem communem tamdiu manere dominum bonorum a creditoribus possessorum, quamdiu ea nondum distracta sunt \*), et β) dominium bonorum eridarii diserte creditoribus abiudicari \*\*). Cum ergo leges expresse lancingt, debitorem obaera-

obaeratum manere dominum bonorum, a creditoribus ipsius possessorum, vsque ad corum venditionem; et ipsi concedant, nondum distractis facultatibus, eas recipere et cessionem bonorum forre factam reuocare, si alia ratione se defendere et creditoribus satisfacere paratus est <sup>a)</sup>; cum porro, creditores bona, a debitoribus obaeratis iis cessa, iure dominii detinere, expressis verbis vetent <sup>b)</sup>: omni plane caret dubitatione, immo certo certius est, creditoribus non comitare ius dominii in bonis debitoris communis, in quae sunt immissi <sup>c)</sup>. Et nihil hic interest, vtrum cessio bonorum <sup>d)</sup> a debitore obaerato facta fuerit, nec ne: quum et hoc casu, si iudicali auctoritate solum bona debitoris creditoribus cedunt, nec titulus dominii nec modus aliquis illud acquirendi apparet, recte iudicante Dno Doct. KARMMER <sup>d)</sup>, II. Creditores gaudent tantum iure pignoris in bonis debitoris communis, quorum possessionem sunt nat*i*. Iudicalis enim in bona immissio nihil aliud, quam ius pignoris, <sup>e)</sup> tribuit, vi cuius creditores bona distrahere, et inde suum consequi allaborare queunt. Patet ergo, creditores, postquam bona debitoris illis cesserint, in communione quedam exsistere <sup>f)</sup> et intuitu huius communionis aequale ipsis competere ius, nimirum ex bonis, illis cessis, iusto ordine satisfactionem quaerendi, et omnia illa coniunctim expediendi, quae ad hunc finem obtinendum ducunt \*\*\*).

\*) Lex 3. D. de cess. bonor. enim expressis verbis disponit: *Is, qui bonis cesfit, ante rerum venditionem vtique bonis suis non caret: quare, si paratus fuerit se defendere, bona eius non veneant.* Et lex 5. eiusd. tit.: *Quem poenitet bonis cesisse, potest, defendendo se, consequi, ne bona eius veneant.* Addatur lex 2. C. qui bon. ced. possunt, et confer. l. 8. C. de distract. pignor. Omnes hae legum dispositiones clarissime innuant, debitorem etiam post cessionem bonorum manere eorum dominum, quamdiu bona nondum venierint.

\*\*) In lege 4. Cod. qui bonis cedere poss. Imp. DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS ita ordinant: — *non tamen credi-*

creditoribus sua auctoritate dividere haec bona , et iure dominii detinere ; sed venditionis remedio , quatenus substantia patitur , indemnitati suae confutare permisum est . Cum itaque contra iuris rationem res iure dominii teneas eius , qui bonis cessit , te creditorem dicens : etc. Quid hac functione legali clarius esse potest ad demonstrandum ac stabilendum , dominium bonorum , per cessionem eorum a debitore obaerato factam , in creditores minime transire ? Facit quoque huc lex 6. Cod. de bonis auctor. iud. posid.

†) Intelligi hinc potest insigne , quod inter cessionem bonorum ac dationem eorum in solutum intercedit , discriminem . Per dationem enim in solutum debitor dominio bonorum se prorsus abdicat , quod ad creditores ipsius deuolutum , qui pleno iure istud adquirunt , et de bonis pro arbitrio proprio disponere valent , per citatam legem 4. Cod. qui bon. ced. in fin. , id quod secus se habet in cessione bonorum , per quam debitor non omnibus iuribus in bona cessa priuatur , per antea deducta . Conf. Sam. STRYCK in diff. de benef. dat. in solut. , quae est diff. 9. Vol. I. diff. fert. eius Francos. Cap. V. n. 37. et Cap. VI. n. 28. et w. A. LAUTERBACH in Colleg. theoret. pratt. Pand. P. III. Tit. de cess. bonor. §. 21.

\*\*\*\*) Per hanc autem communionem bonorum , in quam creditores incident , nulli eorum adimitur praerogativa , ex praescripto legum cuilibet ratione crediti sui competens ; nec per eam inter creditores inducitur litis consortium , vti ex BERGERO g) acute ostendit Dominus c. GMELIN , Professor Erlangensis b).

a) L. L. cett. 3. et 4. D. de cess. bon. et l. cit. 2. C. qui bon. ced. it. l. cit. 8. C. de distract. pignor. conf. BRUNNEMANN in Commentar. in Cod. ad l. 2. cit. n. 2. seq. w. A. LAUTERBACH in Coll. theor. pratt. Pand. P. III. Tit. de cess. bonor. §. 19. 20. et LUDOVICI in der Einleitung zum Concurs - Proceß , Cap. 1. §. 15. lit. (O) p. m. 15.

b) LL.

- b) *LL. citt. 4. Cod. qui bon. ced. et 6. C. de bon. aut. iud. poss. et BRUNNEM. ad l. 4. cit. n. 2.*
- c) *Conf. Illusfr. G. L. BOEHMERI Progr. de iure circa conductionem orto adversus conductorem obaerarum concursu, quod in Eiusd. Electis Iuris civilis Goettingae 1767 editis est exercit. XI. §. 4. — 7. et Dn. Doct. I. G. KAEMMERER in dissert. inaug. Goetting. 1770. sub praesidio celeberr. G. B. BECMANNI habita: de Taxatione et Acceptatione in solutum interimistica praediorum debitorum in concursu ad Conflit. Ducal. Megapol. d. d. 29. Ian. 1646. §. 13. pag. 32. seqq. it Dn. C. GMELIN in Tractatu, sub titulo: Die Lebre vom materiellen Concurs der Gläubiger in ihrem Zusammenhange aus den ächten Grundfären vorgetragen, Erlangen 1775. edito, §. VI. pag. 21.*
- d) *in dissert. citata loc. cit. pag. 33.*
- e) *L. 2. et 3. C. qui potiores in pignore.*
- f) *L. 12. pr. ff. de reb. aut. iud. possid. et l. vlt. pr. C. de bon. aut. iud. MEVIUS Part. V. Decis. 124. n. 2. GMELIN loc. cit. §. 9. 10. 11.*
- g) *in Electis Discept. forens. T. 34. Obs. 7. p. 806.*
- h) *loco cit. §. 11. pag. 33. seqq.*

### §. XX.

*Num creditores moto concursu in omnia iura debitoris obaerati succedant?*

Transferuntur igitur quidem, vt demonstratum dedimus, moto concursu, per missionem in bona debitoris, omnia debitoris iura et quod quocunque modo ad patrimonium ipsius pertinet, et ad creditoribus satisfaciendum aptum est, ad creditores coniunctim et in complexu sumtos iure pignoris, non vero iure dominii. Ex his nunc facile decidi potest quaestio: num creditores moto concursu in omnia iura debitoris succedant? Qui in rem siue bona alterius succedit, is eadem acquirere debet iura: quae alteri, cui succedit, circa rem seu bona competierunt, vt supra (§. XVIII.) docuimus. Ostendimus autem §pho antecedente, creditores non iisdem in bonis eridarii potiri iuribus, quae ipsi debitori fuerunt. Ad debitorem enim bona iure dominii pertinebant; ad creditores non item, sed debitor adhuc dominus manet. Creditores res



res ius pignoris in bonis adquirunt; quale debitori non competit. Prono igitur fluit aliueo, creditores in complexu sumtos in iura debitoris minime *succedre*, neque adeo pro *successoribus creditoris uniuersalibus* posse haber, nec pro *singularibus*, nisi quatenus in substantia bonorum debitoris quedam deprehendantur, quae hic tantum iure pignoris tenuit. Si porro perpendamus, rem familiarem debitoris, super cuius bonis concursus excitatur, in statu maxime inordinato et conturbato versari, et per creditorum concursum in statum quandam extraordinarium deferri, vnde et talis *debitor conturbare legibus dicitur* <sup>a)</sup>, nec de successore in bona debitoris prius dici posse, quam hae turbae, in bonis exortae, item compositae sunt atque sopiae per bonorum venditionem, et pretii inde redacti inter creditores secundum sententiam classifieriam factam distributionem et exsolutionem; nec minus consideremus, creditores non in eo allabore, vt iura quaedam a debitore adquirant, sed vt suum ex bonis debitoris recipient, quod venditionis tantum remedio adhibito illis permisum est <sup>b)</sup>; si haec omnia, inquam, mente agitemus: facillimo inde potest negotio perspici, notiōnem *successoris* in creditores concurrentes minime quadra-re. Nec leges vllibi creditores successores debitoris vocant: sed in possessionem bonorum mitti creditores, et bona debitoris *venire debere* aiunt <sup>\*)</sup>.

<sup>a)</sup> \*) Alia erat rerum facies iure Romano antiquo, quo bonorum venditiones in usu erant. Addicebantur nempe emitori cuidam vniuersa bona debitoris obaerati, qui tanquam successor vniuersalis creditoribus respondere, et vel in solidum vel pro parte iis satisfacere tenebatur, de quo pluribus vid. *H E I N E C C I V S* <sup>c)</sup>. Sed hic modus successionis vniuersalis iure nouiori sublatus est, *princ. Inst. de success. sublat.* Et ipso iure Rom. antiquo, si bonorum emitor inueniri non poterat, hic modus per vniuersitatēm succendi cessabat <sup>d)</sup>, nec vñquam creditores successorum vniuersalium nomine veniebant.

<sup>c)</sup> a) *L. 5. §. 9. ff. de Instit. act. L. 16. ff. de in rem versō. Vid. CALVINVS in Lexico iuridico, sub voc. *conturbare*, *conturbo*.*

<sup>d)</sup> b) *L. 4.*

b) L. 4. C. qui bon. ced. poss.

c) in Elem. iur. ciu. sec. ord. Instit. §. 735. seq. et in Syntagm. antiqu.  
Rom. Lib. II. Tit. XVIII. XIX. §. II. Add. THEOPHIL.  
in Parapbr. Inst. tit. de success. sublat. princ.

d) NEINECCIVS in antiqu. Rom. I. c.

### §. XXI.

*Num creditores moto concursu in omnes obligationes debitoris  
obaerati succedant?*

Multo minus, creditores moto concursu in omnes obligationes debitoris obaerati succedere, dici potest. Contradiccionem haec thesis fere innoluere videtur. Creditores enim sunt illi ipsi, quibus debitor obligatus est, quique satisfactionem suam a debitore vrgent, et hanc moto concursu per venditionem bonorum debitoris consequi satagunt: quaque ratione igitur fieri posset, ut moto concursu obligationes debitoris ad eos transferrentur, et ad eis satisfaciendum creditores obstringerentur? Nonne, hoc posito, necessario sequeretur, creditores esse debitores sui debitoris, quod vero non sunt per hypothesis, sed creditores. Per excitationem concursus autem et postulationem satisfactionis sibi praestandae eos tales fieri posse, nemo sanus affirmauerit. En veram contradictionem! Porro: Omnes illi, quibus debitor obaeratus quacunque ratione obligatus est, ad numerum creditorum pertinent (§. V.), qui suum ex bonis debitoris recipere allaborant. Quamcunque igitur moto concursu viam satisfactioni creditoribus eligat debitor communis, siue cessionem bonorum, siue dationem in solutum, siue actualem solutionem, dummodo ad hanc parandam vires et occasio ei adhuc suppetant: quatenus creditoribus hisce modis satisfit, eatenus obligationes debitoris tolluntur et perimuntur; hinc nullae remanent obligationes, in quas creditores succedere possint. Sin autem non omnibus creditoribus satisfiat, sed quaedam debitoris obligationes relinquantur, a quibus liberatio non contigerit: explorati iuris est, debitorem manere obligatum ad hisce satisfactioni obligationibus, ubi ad pin-

D 2

guio-

guiorem redierit fortunam <sup>a)</sup>, salvo tamen ei tunc beneficio competentiae; creditoribus vero neutquam ex facta cessione bonorum aut datione in solutum quidquam obligationis imponi, aut imponi posse, quum a natura rei plane abhorreat. Ex accidente quidem fieri potest, ut quibusdam debitoris obligationibus creditores satisfacere teneantur, si nimirum cum iuribus quibusdam debitoris, ex quibus creditores suum consequi cupiunt, aliquae obligationes ita sint connexae, ut iura valide exerceri, aut aliqua ex illis utilitas percipi nequeat, nisi simul hisce obligationibus satisfiat. Et tunc creditores ad praestandum id, quod in obligatione est, omnino quidem tenentur, si iura debitoris sui, cum quibus obligationes arcto cohaerent vinculo, persequi et inde virilitatem percipere, illis volupe est; quum iure pignoris tantum et nomine debitoris agant, nec plus iuris sibi adserere possint, quam debitor ipse habuit, iura autem debitoris per obligationes eis adhaerentes ipso iure minuantur: liberum tamen et hoc casu creditoribus relinquitur arbitrium, vrum iura debitoris aduersus eius debitorem in iudicio persequi, et exspectare velint, a reo sibi opponi exceptiones ex ipsis obligationibus oriundas, quibus tunc, quatenus fundatae sunt, facere tenentur satis; an consultius existimant, persequitionem eiusmodi iurium omittere, et exspectare, donec debitoris debitor, ratione obligationum cum ipsis iuribus connexarum, in iudicio adpareat, earumque satisfactionem a debitore communi vrgeat, qui tunc ratione harum obligationum a debitore communi praestandarum ad classem creditorum referendus est, ibique sorrem, quae inter caeteros creditores ipsi obuentura est, exspectare debet; reliqui creditores vero tunc iura debitoris communis, cum ipsis obligationibus connexa, aduersus hunc nouum creditorem per modum exceptionis vrgere, et hac ratione ea in effectum deducere possunt. Igitur, et hoc casu accidente, non tam creditores, quam potius ipse debitor, quod in eiusmodi obligatione est, praestant.

<sup>a)</sup> Conf. I. H. BOEHMER in *Introduct. in Ius Digest. Lib. XLII. Tit. III. de cess. bonor. §. 7. et reliqui DD. ad h. tit.*

## §. XXII.

## §. XXII.

*Argumenta dissidentium expenduntur.*

Licet itaque secundum proposita creditores, moto concursu, minime pro successoribus debitoris communis haberi queant: haec tamen sententia magni nominis quibusdam Iureconsulis, inter quos MEVIVM <sup>a)</sup> et LEYSERVUM <sup>b)</sup> nominasse sufficiat, arrisit; quorum opinio deinde in nouioribus quibusdam dissertationibus adoptari vteriusque defendi coepit. Sed rationes, quibus sententiam suam fulciunt, maxime debiles et ficalneae sunt; cum in legibus opinionis suae patrocinium frustra quaerant. Rationes ab ipsis prolatae omnes eo redeunt, quod omnia iura omnesque obligationes debitoris, moto concursu, in creditores transferantur, creditores personam debitoris repraesentent, et paria haec habeantur, an quis moriatur et haeredes relinquat, an bonis cedat <sup>c)</sup>. Quae omnia partim ex iis, quae in anteced. dicta sunt, diluuntur, partim vero manifestissimam inuoluunt contradictionem. Qui enim creditores personam debitoris repraesentare possent, cum contra debitorem insurgunt, et suum ab ipso efflagitant? sunt ergo illi, qui debitori maxime aduersantur. Nec facta bonorum cessione in locum debitoris intrare censendi creditores sunt: cum et tunc omnia onera in massam bonorum cessorum, quae personam debitoris reuera sustinere veritati magis conformiter dicenda est, recidant, creditores autem inde satisfactionem suam quaerere omni nisu allaborent. Et qua ratione paria haec possunt haberi, mori et haeredes relinquere, et bonis cedere, quum toto coelo differant? Haereditas enim continet lucrum; cessio bonorum autem nil, nisi debita: hinc quoque haeredes lucrum acquirere intendunt; creditores autem damnum auertere satagunt. In haereditate haeres acquirit bona, a defuncto possessa, quia defuncti fuerunt propria: ast in cessione bonorum creditores potiuntur bonis, a debitore hactenus possessis, quia ad eum non pertinent. Vnde adparet, haec duo paria haberi minime posse.

D 3

<sup>a)</sup> in

a) in Decis. Part. III. Decis. 329.

b) in Medit. ad ff. Spec. 494. med. 8. 9. 10. 11. 12. et Spec. 220, med. 6.

c) M E V, cit, loc, not, 5.

### §. XXIII.

#### Continuatio.

Sed, pergunt dissentientes, a) creditores ea, quae debitor obaeratus ante motum concium bona fide iniit, pacta servare iubentur in l. 8. §. 1. ff. de rebus auctor. iud. possid.: ergo sunt successores vniuersales debitoris. Putant nempe, dispositionem l. 8. cit. ex hoc principio profluxisse. Sed lege accuratius pensata, sensuque legis paullo penitus inuestigato, patebit, id inde minime elici posse, quod dissentientes inde elicere cupiunt, nec principium ab ipsis allegatum huic legi 8. fundamenti loco substernendum esse. Sanctitur vero hac lege §. 1.: *Si quis fructus ex praedio debitoris capi poterit, hunc creditor, qui in possessionem praedii missus est, vendere vel locare debet.* Sed hoc ita demum, si ante neque venierit, neque locatus erit: nam si iam a debitore vel locatus erat, vel venierat, seruabit Praetor venditionem et locationem a debitore factam, et si minoris distractum est, vel locatum: nisi si in fraudem creditorum hoc fiat; tunc enim Praetor arbitrium dat creditoribus, ut ex integro locationem vel venditionem faciant. Si de casu, vel specie, vt Icti loqui amant, huic Spho subiecta, eruenda solliciti sumus: contextus docebit, non alium hic singi posse casum, quam eum, quo creditor in possessionem praedii cuiusdam debitoris hac ratione missus, vt facultatem distractandi prae-dium nondum nactus sit. Constat nimirum ex Tit. ff. Quibus ex causis in possessionem eatur, missionem in bona debitoris lute Romano variis ex causis fieri consueuisse; non autem semper effectum distractandi secum coniunctum habuisse. Et de tali missionis casu, quo missio facultatem distractandi non operabatur, Sphum I. l. cit. 8. loqui contextus sat luculenter declarat: dicitur enim ibi, creditorem in possessionem praedii debitoris missum, fructum, qui ex isto praedio capi poterit, vendere vel locare debere. Quid vero opus fuisset,

fructum

fructum ex praedio prouenientem vendere vel locare, si ipsum praedium distrahendi facultas creditoris missa simul data fuisset? Si ergo de tali missionis casu in hac §pho sermo est, de quo contextus non dubitare sinit: quid mirum, in tali casu Praetorem, se seruaturum esse venditionem et locationem a debitore antea bona fide factam, edixisse? Aequitas enim, quam Praetores Romani in proponendis edictis ut normam sequi solebant, postulare videbatur, ut, cum creditor missus, qui facultate distrahendi destitutus erat, de Fructibus conseruandis sollicitus esse deberet, eosque hunc in finem vendere vel locare, venditio vel locatio horum fructuum a debitore iam bona fide inita seruaretur <sup>a)</sup>. Nulla enim hic deprehendebatur ratio, quae hanc venditionem vel locationem irritam reddere potuisset: creditor enim fructus vendere vel locare debebat, et debitor eos iam absque fraude locauerat vel vendiderat. Nullum ergo hic deprehenditur vestigium illius principii, quod creditores pro successoribus vniuersalibus debitoris communis haberi vult; et nihil est, ex quo colligere liceat, Praetorem Rom. ad hoc principium in hac sanctione respexisse. Hinc quoque haec lex a dissentientibus in partes suas trahi minime potest.

<sup>a)</sup> Conf. celeberr. GEO. LUDOV. BOEHMER. in Progr. alleg. de iure circa conductionem orto aduersus conductor. obaer, concursu, in eiusd. Electis Iuris civil. Exercit. XI.

### §. XXXIII.

*Conclusiones ex opinione dissentientium fluentes, quarum prima-  
ria est, creditores locationem a debitore ante motum concursum  
bona fide initam seruare teneri, cum aliis iuris principiis  
male cohaerere, ostenditur.*

Falsum principium non nisi falsas parere potest conclusiones. Quid mirum est igitur, quae ex propositione a dissentientibus defensa, tanquam falsa, ab ipsis deriuantur conjectaria, ea non minus a vero abludere, quam ipsum principium, et cum aliis indubitatis iuris principiis male cohaerere

rere. Semper enim argumenta ex falso petitia ineptos et absurdos exitus habent †). Tangam in praesentia illud tantum inde deductum consequens, quo contendunt, creditores moto concursu obligatos esse ad locationem, a debitore communii ante motum concursum bona fide initam, seruandam, ex ratione, quia sint successores debitoris vniuersales, qui omnia a debitore ante motum concursum bona fide gesta seruare et rata habere teneantur <sup>a)</sup>). Sed licet quidem non prorsus abnegem, ea, quae debitor obaeratus ante motum concursum bona fide gessit, rata manere debere, nec temere irrita reddi posse: hoc tamen non simpliciter adserendum credo, sed addita limitatione: *salvo iure tertio iam quaesito.* Nisi enim hanc limitationem admittere velimus, manifesta oriuntur absurdia. Fac enim, debitorem ante motum concursum locationem conductionem super praedio, iam longe antea aliis hypothecae nexu obligato, contraxisse: an hoc ab eo aliter fieri potuit, quam salvo iure hypothecae aliis iam diu antea acquisto? Minime. Paecta enim semper ita ineunda, ne ius alteri iam quae situm inde laedatur, aut detrimentum capiat; quum ius quae situm nemini, ne quidem ex plenitudine potestatis principalis, auferri potest <sup>b)</sup>). Fac porro, debitorem deinde rationes conturbare et concursum excitare: anne tunc creditores, iam antea ius hypothecae in praedio nactos, commodis huius iuris frui debent; et num ius eorum hypothecariorum per locationem a debitore deinde celebratam imminui aut deterius reddi, siisque in persequenda hypotheca, antea iam et forsitan multis abhinc annis in praedio radicata, remora a conductore inicii, et postulari potest, ut ea ipsi praestent tales creditores, quae debitor in contractu locationis ei promiserat? Nullatenus. Moto enim concursu, quid aliud est conductor, quam creditor? (p. §. V. et XXI.) Debitorem sibi obligatum habet, ut alii creditores. Nihil ergo amplius postulare potest, quam ut ratione praetensorum suorum in illo ordine ei satisfiat, quem leges praescribunt; non autem preferentiam pree illis creditoribus sibi arrogare, qui ius antiquius et potius habent, nec a creditoribus in complexu sumtis efflagitare, ut isti tanquam

quam successores debitoris vniuersales locationem debitoris seruent. Duo enim necessario ex hac thesi propullulant absurdia. *Primo*, quiuis creditor se , tanquam vnam , et reliquos creditores in complexu sumtos , tanquam alteram personam , considerare , et ita argumentari posset (non enim video , ex qua ratione conductor sibi hanc philosophandi rationem tanquam ius praecipuum tribuere vellet) : Creditores sunt successores debitoris vniuersales , eius vices gerunt, eius locum intrant , eius personam repraesentant ; ergo contractum , qui inter me et debitorem communem bona fide intercessit , seruare tenentur , nec ab eo recessere possunt. Ita creditores iuniores , si vel sint nudi chirographarii , philosophari , et ex hac ratione antiquioribus , ius potius et firmius , ipsis praedio inhaerens , iam dudum natum , dicam scribere possent , gratulantes sibi , se fortius antiquorum creditorum ius tam subtiliter et philosophice eluisse. *Secundo*, si conductor a creditoribus exigere posset , ut tanquam successores debitoris , contractum cum debitore celebratum ipsis seruent ; quum tamen non nisi iure ad rem seu in personam gaudeat , eique actio tantum personalis aduersus debitorem competat : multo magis emitor , qui rem a debitore communi ante motum concursum bona fide emit , et a debitore traditam accepit , hinc iure in re fruitur , hac ratione creditores , si hypothecam , in hac re iis a debitore iam ante venditionem constitutam , persequi vellent , repellere posset. Nonne autem hoc principiis iuris e diametro aduersatur , secundum quae hypothecam aduersus quemcunque possessorem persequi licet ? Et ex quo fundamento hocce principium aduersus conductorem moto concursu in usum atque applicationem deduci non posset , sed ille distractioni a creditoribus facienda se opponere , et implementum contritus loc. conduct. ante exposcere posset , nulla legalis potest ratio deprehendi. Neque hic ullum mouere potest dubium alleg. l. 8. §. 1. ff. de reb. aust. iud. possid. Ostendi enim spacio antecedente , hanc legem de plane alio loqui missionis casu , quam qui existente creditorum concursu obtinet. In isto enim , quem lex supponit , casu missio facultate distrahendi

E

erat



erat destituta: ast in concursu creditorum distractio bonorum statim sub initium concursus fieri potest, nec prohibenda est, recte docente M E V I O <sup>c)</sup>). Praeterea vero manifesta contradic̄tio cum indubitate juris principiis inde refutaret, si hanc legem aliter interpretari vellemus, ita, ut onus continuandae locationis creditoribus in concursu hinc imponeretur, ut antea dicta commonstrant: qualis interpretatio minime admittenda; quum secundum regulas hermeneuticae interpretatio legum analogiae iuris conformiter sit instituenda <sup>d)</sup>.

\* ) Hinc quoque Elector Saxoniae huic opinioni, cum ratione legum aperte pugnant, obicem posuit in *Ordinatione Processus recogn.* <sup>e)</sup>, qua fanciuit, ut orto concursu conductor statim de praedio decidere, et locatio conductio tunc pro extincta haberi debeat; conductor vero, ratione eius, quod ipsi forsitan debeatur, ad concursum ablegandus sit <sup>f)</sup>. Et haec sanctio analogiae iuris eo magis conuenit, cum, vti omnia pacta omnesque contractus, sic etiam locatio conductio <sup>g)</sup>, sub clausula: *rebus sic stantibus*, inita censeantur <sup>h)</sup>, debitor autem, moto concursu, de bonis disponere amplius nequeat (p. §. II.)

\*\*) Ipse quoque M E V I U S, quem alias dissentientes ratione falsi, cui haec conclusio superstructa est, principii tanto-pere pro se allegant, ipsis hic contrarius est. Defendit enim diserte <sup>i)</sup>, quod creditores in bona debitoris immisso non simpliciter stare teneantur locationi ab hoc contractae, sed si aliud quoddam anterius ius in re habeant, quam quod tribuit immisso, et quidem si credito nudo potius, quod tunc ius habeant expellendi conductorem.

†) L A C T A N T I U S *Inst. divin.* Lib. II. Cap. VI.

2) LEYSER, cit. loc. Spec. 220. M. 6. et Spec. 494. M. 8. — 12. vid. quoque consultissimus Dn. D. BEHM, iam senator huius urbis meritisimus, ac affinitatis vinculo amice nobis iunctus, in dissert. inaugurali, sub praefidio consultissimi Dni. BECKERI, Professoris olim Rostochiensis, nunc Gryphiswaldensis celebrissimi, Rostochii a. 1757. habita, sub rubro: *de indole contractus, locationi conducti, adicti, assurance vulgo sic dicti, (vom Vorschuß der Paechter) eiusque pecun. in conc. cred. iure atque favore*, §. 28. seqq., item Dn. D. I. WALTHER in dissert. duplici, altera, sub praefidio Dni. Doct.

QVI-

QVISTORVM, olim Professoris Buetzovensis clariss., nunc autem summi regii Tribunalis, quod Wismariae est, professoris grauissimi, Rostochii 1766. habita, sub rubro; an et quatenus successores locatoris tam universales, quam singulares, ex locutione ab ipso celebrata teneantur? §. 20.; altera inaugurali, anno 1773. Buetzovii habita, cui titulus; an et quatenus successores conductoris ex conductione ab ipso celebrata iura et obligations acquirant? §. 9. seqq.

- b) MEVIUS in Decis. Part. VII. Dec. 250. not. 6.
- c) in Decis. Part. II. Dec. 169.
- d) Conf. b. c. h. ECKHARD in hermeneutica Iuris Lib. I. §. 39. p. m. 23. et b. HEINECCIVS in Elem. philos. rationalis et mor. §. 198. et sch. \*\* Log. p. m. 161. seq., item b. Geo. Friedr. MEIER in dem Versuch einer allgemeinen Auslegungskunst §. 199. p. m. 105. seq.
- e) Tit. 39. §. 4.
- f) LEYSER. cit. Spec. 494. med. 8. — 12.
- g) LAUTERBACH in Clll. theor. pract. Pandect. Tit. Loc. Cond. §. LIX.
- h) Conf. Henr. de COCCETI diss. de clausula: rebus sic stantibus,
- i) in Decisionibus Part. IX. Dec. 66.

### §. XXV.

*Quare ius conductori, orto super bonis locatoris concursu, competit?*

Sed hac occasione non inconcinne forsan quaeritur, quale ius conductori, locatore rationes conturbante, competit, et quis locus ipsi, inter caeteros creditores nomen profitenti, sit in prioritatis sententia assignandus. Conduetorem, qua talem, nil nisi actionem personalem aduersus locatorem habere, expediti iuris est. Nisi ergo in instrumento, super contractu locationis cond. confessio, ius reale siue hypothecam pro seruando contractu sibi stipulatus fuerit: in sententia graduatoria in ultima classe inter chirographarios nomen suum deprehendet, cui e contrario in tertia classe inter hypothecarios locus erit, si de hypotheca sibi prospexit. Sed quid? si, quod in locat. cond. praediorum rusticorum sollempne est, sub initium contractus summam quandam, pecuniae assecurationis nomine, locatori soluerit, annon intuitu huius pecuniae maiora sibi potest priuilegia arrogare? Negari quidem nequit, ius retentionis, quod toties locum haber, quoties id, quod possessori debetur, ob rem restituendam ei debetur, et connexionem cum re ha-

bet, ei ob hanc pecuniam in praedio competere; cum pecunia assecurationis intuitu praedii sit soluta. Sed huic iuri retentionis nullibi in legibus iura realia sunt tributa: hinc contra illos, qui iure reali in praedio fruuntur, effectum habere nequit. Et quamvis nullus dubito, conductori ob pecuniam assecurationis nomine solutam hypothecam tacitam cum Illustri Dno. *Augustino de BALTHASAR* a) asserere: priuilegium tamen quoddam tali hypothecae attribui minime potest; hinc pinguiora inde in conductorem non redundant iura, quam quibus gaudet, si expresse sibi hypothecam constituendam curauerit, quod et hoc casu, maioris securitatis gratia, ipsi non negligendum est. Sed quid de impensis in praedium conductum factis dicemus? Annon respectu harum locum ante tertiae classis creditores sibi proprio iure vindicabit? Et quod impensas quidem attinet, siue onera realia, ipsum fundum conductum sufficientia, et a conductori exacta, ut sunt tributa, collectae etc., intelligas, siue impensas in rem conductam necessario faciendas, aut ad perpetuam rei conductae utilitatem erogatas; nullum est dubium, has, si pactis inter locatorum et conductorum desuper forsan initis conformiter sint factae, conductori ante rei conductae restitutionem a creditoribus esse refundendas b). Et quamvis quoad expensas utiles etiam conductori liceat tollere id, quod utiliter ab eo factum, quatenus re salua tolli potest, quo nomine cautionem damni infecti praestare tenetur c): tamen et hoc casu creditoribus competit potestas, tantum conductori offerendi, quantum re ablata habiturus esset d).

a) in dissert. de pecunia assecurationis in loc. conduct. praediorum soluta, eiusque in concurso creditorum iure, Grypbisw. 1739. habita, §. X. seq.

b) argum. L. 29. §. 2 ff. de pignor. et hypoth. Conf. STRYCK, ad BRVNNEM, Proc. Concurf. cred. Cap. I. §. 8. verb. Praejudicium,

c) L. 19. §. 4. D. locat. cond.

d) secundum L. 38. D. de rei vindic.

### §. XXVI.

*Quaenam sint iura locatoris, conductori concursum ciente?*

Locatori leges ita consultum voluerunt, ut tacitum ei pignus tribuerint aut in inuestis et illatis, si praedium sit vrbanum

banum <sup>a)</sup>, aut in fructibus , si fuerit rusticum <sup>b)</sup>. Si ergo, conductore ad incitas redacto , creditores solutionem vrgentes cateruatim aduolant , inter quos et locator nomen suum professus est , hic in sententia classificatoria, ratione rerum tacite ei pignori obligatarum , inter creditores hypothecarios locum tuebitur ; pinguiori adhuc iure gaudens, si praeter dictas res etiam in aliis conductoris bonis hypothecam sibi fuerit expresse stipulatus. Quid vero, si praeterea pecuniam assecurationis nomine sibi a conductore soluendam curauerit locator , id quod in praediorum rusticorum locatione maxime solleme est ? Et hoc casu omnino dicendum, locatorum non opus habere , concursui se se immiscere , sed pecuniae assecurationis , a conductore sub initium contractus locat. conduct. ei solutae, secure incumbere posse ; dummodo ea ad plenam eius satisfactionem sufficiat. Pecunia assecurationis enim in locatione praediorum eum in finem a conductore locatori soluitur , vt hic inde securus reddatur tam de pensione a conductore justo tempore soluenda , quam de damnis in re conducta ab eo datis restituendis, et in genere, ne contra pacta conuenta conductor veniat. Naturam ergo pignoris conditionalis induit haec pecunia . et quidem pignoris traditi , eines haudhabenden Pfandes. Possessorem autem pignoris traditi secundum Ius Germanicum et statuta plurimorum Germaniae locorum , orto creditorum concursu , inde non deturbari , nec cogi posse, pignore in commune collato , inter caeteros credidores nomen suum profiteri , et inde satisfactionem quaerere, sed procul a concursu pignori , quod manu tenet , securius incumbere , neminem , nisi in Iure Germ. plane hospitem , fugere potest. Sed quid de iis locis statuendum , in quibus Ius Romanum hac in parte praeualet ; annon hic locator concursui immiscere se debet ? Negatur. Pecunia assecurationis enim participat quoque de natura mutui. Nam conductor ita eam soluit , vt, si nihil contra contractum placita aetum ab eo sit, ipsi tantundem in genere , finito conductionis tempore , a locatorre restituatur. Locator ergo fit dominus nummorum et specierum solutarum : licet dominium quantitatis seu fortis

penes conductorem maneat. Hinc locator, si a conductore sibi quid deberi afferit, quum hic non omnia contractus parata seruauerit, pecuniam afferetur. non aliter restituere obligatus est, quam deducendo eo, quod sibi debetur. Et cum hic utrinque genus debeatur; per modum compensationis, quae ipso iure sit, locator ex hac pecunia sibi soluere potest, nec, quatenus ei nondum plene exinde satisfactum, hilum restituere deber. Sed obici posset, praetenstiones locatoris plenumque esse illiquidas, summam pecuniae autem, a conductore solutam, liquidam, et illiquidum cum liquido nullam esse compensationem. At respondetur; si constat, conductorem locatori adhuc ex contractu obligatum esse, et hunc ab isto aliquid iure petere posse: summa, a conductore afferuationis nomine soluta, non amplius liquida haberi potest. Locatori enim ea soluta est, ut indemnitate seruetur; hic casus iam existit, quo locator indemnus seruandus: ergo illiquidum est, quantum a locatore de pecunia afferuationis sit restituendum, quamdiu petitiones eius et aestimatio damni a conductore refundendi nondum ad liquidum perducta c).

a) L. 2. 4. et 6. D. in quib caus: pign. vel hyp. tac. contrah.

b) L. 8. D. eod.

c) Confer. de tota hac materia Illustr. Dn. AVG. de BALTHASAR in diff. alleg. praesertim Cap. II.

### §. XXVII.

*Vtrum creditores successores debitoris uniuersales habendi sint, si cum cessione bonorum datio in solutum coniuncta fuerit?*

Coronidis loco paucis adhuc subiungam euolutionem quaestions: annon, si debitor cum cessione bonorum simul dationem in solutum coniunxerit, et hoc modo omnia sua bona irreuocabiliter in creditores suos translulerit, hoc casu creditores successores eius uniuersales habendi sint? Licet haec quaestio primo intuitu adfirmando videri posset; fucus tamen, quem patroni huius sententiae hic cum datione in solutum facere nituntur, mox evanescit, dummodo natura concursus et dationis in solutum, item leges, quae hoc beneficium dationis in solutum

tum debitoribus indulserunt, curatius inquirantur et inspiciantur. *Leges* hoc beneficium concedentes praeprimis sunt Nonuellae IV. Cap. 3, et Rec. Imp. Nou. de 1654. §. 172, *So viel nun die Capitalia, etc.* Ex harum inspectione apparet, eas non respicere casum concursus creditorum, sed solummodo casum actionis particularis ab uno altero ue creditore aduersus debitorem motae. Quod autem hoc casu a LI. sancitum, ad creditorum concursum, qui peculiarem habet naturam, a persecutionibus particularibus debitoris longe diuersam, trahi minime potest. Nec *natura concursus*, si cum *natura dationis* in *solutum* contendatur, hanc admittere videtur. Datio in *solutum* enim vicem solutionis obtainere debet, et creditori per eam satisficeri, qui effectus etiam extra concursum ratione creditoris cuiusdam particularis, rem quandam ex bonis debitoris, (et quidem meliorem, vi legum supra excitatarum) in *solutum* accipientis, sequitur: at in creditorum concursu hic effectus sequi nequit; sed hic dat in sol. nil amplius operatur, quam cesso bonorum <sup>a)</sup>), nimirum communionem inter creditores producit, qui tum ex bonis sibi cessis satisfactionem suam venditione eorundem quaerunt. Commodis vero, quae creditor particularis ex datione in *solutum* consequitur, ut nimirum res in *solutum* data eius fiat propria, et ipse eandem quoquo modo in *vitus* convertere suos possit, item, ut meliora rerum debitoris eligere, et haec sibi in *solutum* dari, postulare possit, his commodis, inquam, creditores concurrentes, quibus communis debitor omnia sua bona in *solutum* addicere cupit, prorsus carent. Euidens hinc est, naturam concursus dationem in *solutum*, quatenus a cessione bonorum diuersa fингitur, plane respuere: nec debitori, qui, si debitibus, quae ab eo exiguntur, soluendis impar est, creditoribus bona sua linquere, iisque cedere de iure tenetur, licitum esse, sub specie dationis in *solutum* et maioris pretii bonorum, quod debita non exaequent, creditoribus inanem litem super sufficientia bonorum mouere, eaque istos sat diu fatigare. Ei enim incumbet, si bona reuera sufficientia sunt, reali solutione creditoribus satisfacere. Et si hoc non valet, nec Indultum a Principe aut creditoribus impetrare potest, lis super sufficientia bonorum,

rum, quam creditoribus intendit, eo magis inanis est, quum bonis venditis statim adparebit, num ei residuum aliquod sit a creditoribus restituendum, nec ne. Patet ergo ex dictis, hunc casum dationis in solutum nil mutare in principiis antea positis, indeque creditores nihil magis successores debitoris vniuersales habendos esse; sed bona semper cum tantum in finem in illos transferri, ut satisfactionem inde sibi suam comparent. Iuri irreuocabili hac ratione acquirendo facile nuntium mittent, modo credita sua salua seruent: nec debitor temere huc viam inflecter, nisi de sufficientia honorum desperet. Aequalia vero absurdia et hic orirentur, si tali datione in solutum creditores successores debitoris vniuersales effici statueremus. Si enim ex bonis in solutum datis non omnibus creditoribus satisficeret, sed residuum debitorum maneret: quis hoc soluere obligatus esset? Secundum saniora iuris principia ipse debitor, si forsan aliquando ad pinguiorem fortunam reddit <sup>b)</sup>; ast ex falso supposito, creditores in omnes obligationes debitoris obaerati succedere, creditores hoc onus premeret, quo nihil absurdius statui potest.

a) Conf. LEYSER in *Meditat. ad ff. Specim. 531. med. 2. pag. m. 964.*  
in fine, et vid. *Sammlung einiger Aufsätze ueber die Dationem in solutum bey Concursen in Mecklenburg de 1772. N. III. et IV.*, item *Nacherinnerungen ibid. pag. 19.*

b) Confer. s. STRYCKII *diff. de benefcio dationis in solutum*, Cap. V.  
num. 27., qui Auctor hoc beneficium plene et in toto suo ambitu,  
ut solet, tractauit.

### §. XXVIII.

#### C o n c l u s i o.

Haec sunt, quae de hac materia tradere animum induxi. Tu vero, lector beneuole, hoc, quidquid est scriptio[n]is, aequi bonique consulas, et me rectiora edoctum veritati semper quam lubentissime esse concessurum, te persuasum habeas, velim. DEO autem ter optimo terque maximo sit laus, honor et gloria, in sempiterna saecula!







Kd 1524

ULB Halle  
006 663 524

3



v2n8



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



COMMENTATIO IVRIDICA,

QVA SISTITVR

DISQVISITIO QVAESTIONIS:

N V M

CREDITORES MOTO  
CONCVRSV IN OMNIA IVRA  
ET OMNES OBLIGATIONES  
DEBITORIS

OBAERATI SVCCEDANT,  
ET HINC SVCESSORES  
DEBITORIS VNIVERSALES  
HABENDI SINT?

AVCTORE

CHRISTIANO WOLHARDO STEIN,  
IN CANCELLARIA IVSTITIAE DVCALI, CVI ROSTOCHII SEDES  
EST, ADVOCATO IMMATICVLATO.



ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.

ANNO 1781.

